



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Gratus Deo de tradito sibi bono institutore, quem & aliis pueris
precabatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

iniungeret. Vbi licet admirari planè raram in puero siue ingenuitatem, siue conscientiaè custodiendæ solertiam. Namque perfectæ virtutis magistri nihil vltra fermè requirunt, quàm vt veræ sapientiaè studiosus secum ipse idem accusator, ac iudex exactum recognoscat, & in iudicium vocet diem. Sed Petrus nequaquam ea cura contentus, religiosi Tyronis instar cuncta Institutori candidè aperiebat, vltroque apud eum sui accusatorem agebat, ac paratum ad subeundam quamlibet poenam offerebat, nullo retardatus, vti assolet illa ætas, vel pudore, vel metu. Videretur hæc pueri Canisij laus propemodum incredibilis, nisi ex eiusdem iam senis affirmatione, chirographoque constaret: cumque reliqua deinceps ætate tam aptè congrueret, vt altera alteri testimonio sit. Igitur ex cõspiratione illa seduli præceptoris, obedientisque discipuli factum est, vt quæ facillimè propter imbecillitatē consilij ætas deprauatur primis annis, in ea Petrus & innocētiam perpetuam custodiret, & cum ætatis futuræ, tum sanctitatis firmissima poneret fundamenta. Tanti interest pariter cum ingenij docilitate idoneos nancisci Doctores. Cuius magni meriti nunquam postea Canisius desuit summas

*Gratus Deo
do tradito si-
bi bono insti-
tutore. Què
& aliis puc-
ris prece-
batur.*

mas Numini grates agere, ad precarique vt pro indulgentissima sua pietate pueros omnes eodem præuenire vellet munere, vt optima præoccupati doctrina, matureque à turbis, ac periculis mundi semoti discerent salutaria magis, quàm vana sectari, ac recto consilio in studiis literarum versantes sapientia solida ad suam, Ecclesiæque sanctæ utilitatem, atque diuini nominis gloriam informarentur. Hac igitur in schola puer, adolescensque Canisius dubitares vtrum in virtute, an literis maiores progressionem haberet, cum in vtrisque haberet maximas; vicissimque se se vtraque studia eo validius adiuuarent, quo sincerius ipsam quoque literarum disciplinam ad pietatis apparatus, profectumque, atque ad Dei gloriam referebat. Sunt qui tradant etiam solitum inter studendum demortui hominis caluariam in lucubratoria mensa habere propositam, quæ continenter oculis, & animo obuersaretur: aptum sanè inuentum ad percipiendam philosophiam, quæ mortis meditatio definitur, & ad studia ultra mortem dirigenda, extendendaque in omnem æternitatem.

Nec tamē omnino periculis caruit, quibus ab *periclitatur à secula.*
fatana, ab seculo, à domesticis, ab ipsa deprauatio-